



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

ANNOT. IOANNIS POMERANI

in eum credatis, sed & ut pro illo patiamini: dignos enim iudicat pro sua bona erga illos bonitate, quos illuminet. Hæc uero ab impijs abesse non possunt, quos deus indignos sua gratia iudicat, & in sua obstinacia & infidelitate dimittit. Sed quare illos suscipit, hos derelinquit: respōdet tibi Paulus ad Rhom. 9. &

In die illo.

Martinus: Quia nostro testimonio ad uos in hoc tēpore credidistis. alioqui non est apta sententia, tunc admirāndus fiet Christus in credētibz, quia nūc suscipistis à nobis eius uerbum, qd' testificati sumus ad uos.

Ad quod etiam oramus,

Vt istam uocationem, qua uocauit uos per Euangelium, perficiat cum potētia spiritus sui operantis in uobis ad gloriam nominis eius, & uestram per illum, secundum gratiam eius & Christi. Quibus uerbis uides quā omnia merita à nobis auferat. Vocatio est dei, operatio profectus est dei, cōpletio salutis nostra est dei, & omnia per Christum. Hæc alibi quoq; diximus, uel in epistola ad Philipenses.

CAPVT II.

Quia dixerat Paulus in epistola superiore de subito & insperato domini aduentu, & inter cetera

IN EPI. PAV. AD THES. II. 65

cætera sic: Nos qui uiuemus, qui reliqui erimus in ad-
 uentu &c. factum est ut à multis tunc dies domini
 crederetur uenturus, adhuc uiuentibus quibus scripse-
 rat, quos obtestatur per eundem aduentum, & per
 communionem Christianam, qua cum Christo unum
 iam sumus, & qua Christo aggregabimur in illo die,
 ne credant, stulte persuasi uel per spiritum, id est ali-
 quem quasi habentem reuelationem de hoc: uel per ser-
 monem, uel per epistolam quasi Pauli, ne turbarentur
 cogitantes: Si iam uenturus est dominus, quomodo im-
 plebuntur scripturæ de uocatione omnium gentium?
 quomodo uera sunt quæ dominus in Euangelio prædi-
 xit futura ante diem iudicij, quæ apostoli dei prædixe-
 rūt? Et nescio quam aliam turbationem in eis Paulus
 timuerit, quum fidelium sit eum diem expectare, nisi
 quorundam illic adhuc infirmitatem notauerit: quana-
 quam satis aperte indicat aliquos deceptores illic tali
 hominum opinione abusos fuisse, nescio ad quid: alio-
 qui suos nõ tantum adiuraret, ne hoc ipsum crederet:
 dicit ergo, Nõ adueniet dominus, nisi uenerit defectio
 prius &c. Porro hic obiter notandũ, quod sicut tunc
 turbabatur de subito domini aduētũ, ita uenturi sunt
 in nouissimis temporibus, quæ nũc sunt, qui securi ut
 fabulam contemnent, quæ de aduentu domini à pro-
 phetis & apostolis, atq; adeò ab ipso Christo prædi-
 cta sunt: contra quos scribit Petrus epistola 2. cap. 3.

Non regno n̄ aduēntũ

Nisi uenerit defectio.

Qui nolunt hæc esse scripta contra regnum Papæ, quod hodie plus satis uidemus, accedant huc & iudicent arborem ex fructu, id quod monet saluator. Hoc regnum adeò hodie iniustum est, adeò iniusta quæ cū Euangelio pugnant iandudum adprobauit, & seruari statuit pompam, uoluptates, diuitias mundi ample xari cruce Christi abiecta, ut etiam defensores eius in multis, conscientia arguente, iniustitiam utcumque uideant. Qui & hoc addunt, ut compleant sua peccata, & mensuram iniquitatis, ut soli persequatur Euangelium, & gratiam saluatoris nostri: quem dedit nobis iustitiam, sanctificationem, redemptionem, satisfactionem, i. ad Corinth. 1. In quo (ut dicitur ad Colossenses 1.) placuit patri, ut omnis plenitudo inhabitaret, & per eum reconciliarentur omnia, in ipsum pacificatis per sanguinem crucis eius & cœlestibus, & terrenis. Et cap. 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis: qui dicit, Sine me nihil potestis facere. Quid ergo nobis cum traditionibus humanis ad salutem, cum omnia habeamus in Christo, quibus omnia est Christus? Quibus inutilis est Christus, & à gratia excidimus, si in lege querimus iustificari, ut dicitur ad Galatas quinto. Vides quod ne per legem dei quidem est iustificatio: nam ad

hoc data non erat lex ut iustificaret, ut dicitur ad Galatas 3. sed ut per eam cognosceretur peccatum, & transgressio uoluntatis dei, ut dicitur ad Roman. 7. Ipsi tamen pro legibus à se excogitatis, & traditionibus humanis pugnant, & hoc impietati & infidelitati suæ addunt: ut fiant homicidæ, occisis confessoribus Christi, id est illis qui confitentur, & docent nos sola fide iustificari, & per solam dei misericordiam absque ullis meritis humanis saluari, & traditiones humanas saluti obesse: imò nullam esse salutem, ubi traditionibus confidis, sic pronunciant Christo Matth. 15. Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Et ne forte dicant: Nos talia mandamus, ut homines deum timeant. Respondet deus Esaiæ uigesimo nono: Timuerunt me mandato hominum & doctrinis &c. Sic occidunt siue opere, siue uoluntate, ut ueniat super eos omnis sanguis iustus, qui effusus est à sanguine Abel iusti usque ad sanguinem omnium martyrum, usque in presentem diem pro Euangelica ueritate occisorum. Hæc dicimus propter eos quæ adhuc resipiscere possunt. Debemus enim eis & optare & precari salutem, ut ipsos deus nobiscum illuminet, qui & ipsi in multis adhuc offendimus. Obstinati uero dei iudicio sunt relinquendi, ut quæ sordent, sordescant adhuc. Illud consulimus omnibus, ne pugnent contra ea, quæ non intelligunt: for-

ANNOT. IOANNIS POMERANI

te dabit quandoque & ipsis deus intellectum: sinant
utraq; crescere, sicut uult Christus, usq; ad messem, &
tunc fiat separatio zizaniorum & tritici: nō sint an-
Triticum. te tēpus iudices, donec Christus iudicet. Crede mihi,
imò crede Euangelio, triticum est semen Christi, id est
Zizania. uerbum eius, quod cum suis apostolis predicauit, zi-
zania autem sunt uerba & traditiones hominū, quae
inimicus homo, homo peccati & perditionis, per do-
ctrinas demoniorum, dormientibus hominibus, id est
fide (ut sepe monet Christus) nō uigilantibus, super-
Palea et zi seminauit: ut haec uides Matthaei 13. Nunquam effici-
zania nun- es ut palea & zizania fiant triticum, quae igni seruan-
quam fient tur aeterno. Desine ergo & disce probare spiritus nū-
triticum. ex deo sint. Probabis autem non ex traditionibus, aut
antiqua consuetudine, aut ex tuo sensu: sed ex uerbo
dei. Si huic consentiunt spiritus, sunt boni: si dissenti-
unt, sunt mali. Disce scripturis et ueritate agere, sicut
Christus egit & apostoli, non ferro & igni: id quod
possunt & latrones. Igitur si in aliquo inuenero fru-
ctus hic descriptos, num dabis mihi, ut etiam arborem
malam dicam, id est hominem peccati, filium perditio-
nis? &c.

Primum hoc quod obscurius dixit Paulus, tantū qui
tenet, in praesentia teneat, donec è medio tollatur. Om-
nes exponunt de sublatione regni Rhoanorum,
quod tunc imperabat mundo cum magna potentia

sub Nerone. Erat enim quartum regnū, & quarta be-
 stia, de qua Dan. 7. Clarius dixerat ista Paulus Thes-
 salonicensibus coram, quæ apertius tunc scribere non
 est ei uisum. Ergo sicut uenit Christus sublato prorsus
 Græcorum regno, quod erat tertium: ita ueniet Antis-
 christus, siue potius, ut hic dicitur, reuelabitur, subla-
 to Rhomanorū imperio, quod deficere coepit sub He-
 racleo imperatore, quando recesserunt à Rhomanis
 qui Sarraceni & Turcæ adpellantur, & defecerunt
 à fide per Antichristum Mahumetem, qui se paracles-
 tum à Christo in Euangelio promissum asserbat: id
 quod stultus ille populus credere potuit. Neesse est
 enim ut credant mendacio, qui dilectionem ueritatis
 non suscipiunt, ut salui fiant, nimirū excæcante corda
 eorum deo. Mahumetes gloriabatur se interpretem
 scripturarum, & nihil debere aliter ex scripturis ac-
 cipi quàm ipse interpretaretur, quãdoquidē se ad hoc
 à deo missum. Sublato uero in totum Rhomanorū im-
 perio, prædicit Paulus non uenturum hominem pecca-
 ti, sed reuelandum &c. Si hodie rem spectes, illud Rho-
 manorum imperium, quod tempore Pauli erat, abla-
 tum est, & omnes sumus sub imperio Papæ, cui & sub-
 diti sunt omnes reges & principes nostri: cuius man-
 data etiam trepidis conscientijs adorant: qui gloria-
 tur se dominum esse totius orbis in loco dei, omnesq;
 esse sub certa damnatione quotquot ei non obediunt:

Mahume-
tes.

uirtutes
corp.



ANNOT. IOANNIS POMERANI

neminem esse seruum dei, nisi sit seruus Papæ. Et pro defendendis diuitijs eius, proque confirmanda eius potestate & regno licere hoc sibi, quotquot resistunt & contradicunt filios esse dei, & æterna uita dignos: qui si sic occidunt & tumultuantur pro illo regno, se potestatem habere super omnia quæ dei sunt: super omnia & sacra, & prophana. Omniem potestatem spiritus sancti à Christo in Euangelio credentibus liberalitate dei datam, ad se primum pertinere ut principem, & neminem ea uti posse, nisi ipse per se aut suos permiserit, adprobauerit, ratificauerit se posse liberare tot animas ex purgatorio: quo & hoc unum, quod hæctenus Christo reliquerant, auferunt: nempe hoc quod ipse est constitutus à deo (sicut Petrus dicit) iudex uiuorum & mortuorum. Hic uendit pro pecunia, quoties uult, preciosum & Christi & martyrum sanguinem, dum merita Christi & martyrum se distribuere ex thesauro sibi commisso gloriatur, sed pro pecunia: id quod tot bullæ & literæ eius in Germania testantur. Hic adprobat usuras contra legem dei, rapinarum accipit partem pro indulgentijs. Prohibet matrimonia in tam numeroso clericorum suorum populo: unde tot horrenda secuta sunt peccata, ut mundus amplius, uel ipse deus ferre non possit. Populum facit sine matrimonio, & qui uiuat sine manuum labore & sudore uultus sui

IN EPI. PAULI AD THES. II. 68

regium scilicet contra deum inuentum, & contra Pauli excommunicationem, quam legis secunda ad Thessalonicenses tertio. Prohibet cibos, quos deus creauit fidelibus ad edendum cum gratiarum actione. Ordines & sectas confirmat, dignitates & scholas in sua decreta iurare facit, & omnia iuramentis replet, ut sibi obnoxias faciat hominum conscientias. Dies obseruari præcipit, & menses & tempora, dum alijs diebus ieiunari, alijs feriari uult sub indignatione omnipotentis dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum. Certe Paulus dicit se talibus frustra prædicasse Euangelium, ad Galatas quarto. Sanctitatem ponit in uestibus, rasura, murmure oris, boatu, ornatu templorum, unctionibus illis, &c. In talibus enim seruatis docet confidendum, & de neglectis pœnitendum. Si uero talia contempnas, aut contemnenda doceas, unus infernus ei non sufficit, quò te detrudat: & (ut semel dicam) ipse præcipit ea, quæ deus non præcepit, contra Christum, qui dixit apostolis: Prædicate Euangelium. Item: Docentes omnes gentes seruare omnia quæcunque ego mandauero uobis. Contra Paulum, qui dicit: Etiam si angelus è cælo, &c. Et seruantibus dat pingua beneficia, præbendas & dignitates magisterij, & doctoratus insignia, seraphicam sanctitatem, & indulgentias copiosas, & annum iubilæum cum remissione omnium

quas tota
domus
scripsit

ANNOT. IOANNIS POMERANI

peccatorum, & uitam eternā promittit. Nō seruantes uero, bonis priuat, omni honore exuit, è mūdo (si fieri potest) expellit, occidit, eternæ dānationi & maledictioni adiudicat, etiam si omnia dei præcepta seruaauerint. Et cum fides secundum Euangelium & doctrinam apostolicam sit solius dei cultus, qua soli deo fitur, solus deus timetur, ut conscientia nulli maneat obstricta, nisi soli deo: ut in conscientia nemo regnet, nisi solus deus. Papa pro fide nobis traditiones humanas surrogauit, docens quod per illam salutem consequamur, ut talia omittere timeamus sub pœna mortalis peccati, sub pœna excommunicationis aut late, aut ferendæ, sub pœna eternæ maledictionis. Per hæc ita habet conscientias obstrictas, ut inuenias qui nihil aliud confiteantur, quàm die dominica nō fuisse feriatos: nihil autem ueriti, si dominica die ebrietati & crapulæ, ut alia taceam, studuerint: cum tamen hæc sint contra Euangelium, illud non sit. Item feria sexta non ieiunasse, aut non abstinuisse à butyro. Hic inuenias scortatores, adulteros, publicos latrones &c. qui religiose obseruant ieiunia ecclesiæ, ut uocant, nihil suam interim ueriti malam uitã, qui etiam audeant hæreseos damnare contra facientes, quasi non sint separationes à Christo, scortatio, adulterium, rapina, homicidium, &c. Itaq; his nugis se Christianos uolūt uideri & decipietes & decepti. Itē alius cōfitetur se neglectim legisse

Indes

IN EPI. PAULI AD THE. II. 69

gisse horas canonicas, neglexisse aliquot cruces in
 missa, sine manipulo celebrasse, in canone uerbis ua-
 cillasse, alicubi non attentum fuisse, in uerbis sacratis-
 simi illius canonis, qui nihil uerentur euangeliū Chri-
 sti male legere, & nihil eius intelligere: quibus dicit
 Paulus, ut taceant, si non adsit interpres. Et interim
 quidam illorum sunt usurarij, scortatores, &c. qui
 confitentur quidem quandoque, sed de emendando
 non cogitant: de alijs uero iam dictis nugis fatentur,
 & ex corde fatentur sese emendaturos. Hæc cum ui-
 deamus adhuc, ne dubitabimus fidem illam in deum
 per Christum nobis esse ablatam. Vides'ne traditio-
 nes & sigmenta hominum timeri supra dei præce-
 ptum? Nonne hic Papa regnat in conscientijs homi-
 num supra deum? Nonne hic sedet in templo dei, ut
 deus? Hic trepidant miseræ conscientie ubi non est ti-
 mor, & ubi timendum uere esset, nihil timent, aut non
 tantum timent. Quin & ipse Papa de uiolato dei præ-
 cepto non tanta cura tangitur, quanta de suo. id quod
 ostendunt casus illi reseruati, & bullæ coenæ, ut alia
 taceam. Nonne hoc est exaltari supra deum? Quod
 uero hæc oia faciat ut deus, uel sub nomine dei, ne ipse
 quidem negat: quod autem sedet in templo dei, &
 ipse gloriatur: Putas'ne deo placiturum, quod da-
 mnantur ea quæ ipse deus non damnat, & magnifican-
 tur ea quorum alia ipse deus ignorat & contemnit,

ANNO. IOANNIS POMERANI

alia etiam damnat? Contra deum ergo talia sunt, & contra Christum, ut non dubites Antichristos esse, qui talia defendunt. Nonne adhuc in speciem meliores possent iudicari pseudapostoli, cum quibus tantum certamen erat apostolis Christi? Qui hoc agebant, ut in confidentiam operum legis Moysi diuinitus data retraherent illos, qui per gratiam domini nostri Iesu Christi sola fide erant iustificati: cum papistæ suis legibus, et somnijs humanis (de quibus non exiget Christus à nobis rationem in illo iudicij die) nos alligant, & confidentias nostras quasi deo uinctas & obstrictas esse uolunt. Hæc est ultima satanæ operatio. Finge nunc uenturum aliquem Antichristum, qui corpora cremet ignis, ledat ferro, trudad in carceres, &c. qui sibi adherentibus det magnas diuitias, &c. quid quæso amplius faciet, quam iam in hoc papistico regno uidimus? Quid magis horrendum facere poterit contra hominum salutem, quam ut abiecto dei timore, et in deum fiducia, faciat ut suas traditiones, & excogitata somnia timeant, & rursus in eis obseruatis fiduciam habeant, & spem collocent salutis? Hoccine est auferre totum quod Christus dominus nobis factus est? Hoccine est negare Iesum esse Christum, & Iesum esse filium dei? de quo, I. Ioan. 2. Non negant quidem, si nomina spectes, ceterum rem auferunt ei, iustificatorem esse non permittunt, sicut propheta Christum depingunt: quia iusti-

*papa vero
I. uincens
antichristus*

Non nomina sed rem auferunt Antichristi

tiam operibus tribuunt, & dei esse uirtutē negant,
 quem non satis esse ad salutem docēt, ut alibi diximus.
 Sunt ergo Antichristi, de quibus Ioannes dicit. Inter
 quos sunt omnes illi hodie, qui prohibent Euāgelium
 Christi, id est Christi gratiā prädicari: scientes quod
 si illa sola, ut oportet, prädicata fuerit, omnia ipsorū
 somnia & excogitatae leges à conscientijs hominum
 cadent in perditionem tyrannidis ipsorum. Hęc inte-
 rim satis de fructu, unde arborem cognoscamus omni-
 no diuersam ab illa, de qua scribitur Psal. 1. Aduerte
 rursum quod prädicitum est à Christo, uenturos mul-
 tos pseudopphetas, et pseudochristos, siue Antichri-
 stos, id est Christi aduersarios, quos apostoli pseud-
 apostolos nomināt, quod apostoli Christi nō sint, quans
 quā uideri uelint. Sicut qui hodie se episcopos, et apo-
 stolorum successores gloriantur, licet nihil in eis apo-
 stolicum uideatur, licet uerbū Christi, quod mandatū
 est apostolis, ignoret, eo quod nihil in se spiritus Chri-
 sti habeāt: sed sua querūt, & defendūt etiā cum Euan-
 gelij iniuria, & Christi confessorū oppressione. Et ne
 quis Christi prophetiā intelligat solū de illis pseud-
 apostolis, qui iam tum apostolorū tēpore erāt: id quod
 stultū esset, cum similes et ijdē sint, qui simili et eodem
 fructu reperiūtur. Christus de utrisq; prädixit pseu-
 da apostolis siue Antichristis Matt. 24. et Mar. 13. De
 illis, Multi, inquit, pseudopphetæ surgēt, et seducēt

pseudo christi
 pseudo prophete
 Antichristi
 pseudo apostoli

ANNOT. IOANNIS POMERANI

multos. de nostris uero tunc inquit: Si quis uobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errore inducantur. si fieri potest, etiam electi: ecce praedixi uobis. Sic & fama erat tempore apostolorum, quod Antichristus quandoque uenturus esset: idcirco sic scribit Ioa. episto. 1. cap. 2. Filioli nouissima hora est. Et sicut audistis, quod antichristus uenit, nunc antichristi multi facti sunt. Vnde scimus, quod nouissima hora est. Ex nobis prodierunt, &c. Itaque de multis antichristis, siue pseudoprophetis, siue pseudochristis, siue pseudapostolis saepe legimus. Paulus uero hic, quod quandoque solet, mysterium nobis aperit futurum, scilicet ut omnium antichristorum, pseudochristorum, pseudoprophetarum, pseudapostolorum, tandem unum caput reueletur, sub quo omnes omnium errores & seductiones contineantur, qui seduxerunt orbem, tamen sub nomine dei & Christi transfigurantes se (ut Paulus scribit) in angelos lucis, satanae magistros. Quid ergo est, quod reuelandum hoc capite dicit, nisi quod ad aliqua tempora specie sanctitatis sese occultauerit? Alio qui quomodo etiam hic ad errandum sollicitaretur electi, sicut Christus dicit? Noli hic Iudaeum quempiam cogitare, aut nomine Gentilem, qui in templo dei sedet, & signa operatur, sed mendacia. Et Ioannes dicit, Ex nobis prodierunt, &c.

Capitulum
notandum

Vides quàm hæc quasi digito regnum Papæ notent, in quo regno, etiã si sancti quandoq; præfuderint, & rectores fuerint, tamen sic oportuit etiam per electos se duci, qui ueritatem euangelicam non susceperunt. Iudicium dei est, noli cõtendere, prædixit Christus, prædixerunt apostoli. Regnũ autẽ Papæ uoco, ab eo tempore, quo ipse papa sibi monarchiã adscripsit, & traditiones suas Christi gratiæ prætulit.

Defectionem siue discessionẽ, quam dicit Paulus, satis notum est ex. 1. ad Timo. 4. Discedent quidam à fide, &c. Vbi exprimendi rei gratia addidit duo insignia exempla, quibus indicauit qui sint illi desertores fidei, qui attendit spiritibus erroris, siue spiritibus deceptoribus, non probantes per uerbum dei, spiritus num ex deo sint: sed suscipientes humana pro diuinis oraculis: ut neglecto Euangelio alius dicat, ego teneo cũ Thoma: alius, ego cum Scoto, &c. Alius, hoc opus, inquit, fecit ille sanctus: ergo hoc opere saluabor, &c. qui sequitur doctrinas demoniorũ, dum relicto uerbo dei, traditionibus humanis fidunt, & fidere docẽt. Semper doctrina demoniorum est, ubi relicto dei uerbo alijs uerbis creditur, quæ cum dei uerbis cõuenire non possunt. Nõ enim deus in re salutis nostræ uult aliud, ut non dicam diuersum, quàm suum uerbũ, etiam si angelus è cœlis, ait Paulus, &c. Hæc doctrina demoniorũ cœpit in paradiso. Dominus dixerat, morieris.

1 Ro 13
propheta
dicit p dicit
7 profum...

desertores
fidei

doctrina
Iemo:

ANNO. IOANNIS POMERANI

Spir
Chori
Erroris

Serpens uero, nequaquam moriemini. Sic & hodie dominus Christus, & spiritus sanctus dicit ubique in scripturis, quod ex sola fide iustificamur, & liberi sumus a peccatis. Spiritus uero erroris, & doctrinae demoniorum dicunt: Non est uerum, quod ex sola fide iustificamur, sed fac hoc, & salutem consequeris: da tantum, si ueneris ad illa loca, habebis remissionem omnium peccatorum. Si non sic ederis, si non sic uestitus fueris, aut rasus, danaberis, etc. Dominus uult suo uerbo credi: serpens dicit, nequaquam uerum est. Porro non manifesta demonia futura dicit Paulus, nisi quantum ex fructibus possunt deprehendere fideles: sed talia quae possint se figurare in angelos lucis, hoc est demonia meridiana: sicut in Psal. uocantur, id est sicut dicit, quae loquentur in hypocrisi mendacium, sub specie magna sanctitatis docebunt quae deus ignorat, quae deus non mandauit: & fictis abutentur miraculis, & signis, ut hic dicitur, mendacibus, & in tantum, ut etiam demonum credent illusionibus contra dei praecipium. Deut. 13. ubi uidet, quod deus solet nos tentare signis mendacibus, utrum diligamus eum an non in toto corde, & tota anima nostra. Atque hac hypocrisi seducunt illos, qui Euangelium ueritatis non suscipiunt, ut salui fiant. Illos uero qui suscipiunt, iam amplius decipere non possunt. Ipsi enim luce Euangelica detegitur persona demonij meridiana, & deprehenditur esse tenebrosum demonium, quod ut meridies uisus perstrinxerat humanos. Additur

Demonis
meridiana

quoque quod cauterio notatam habebunt conscientiam: quam enim soli deo debebant consecratam habere, iam adcepto alieno signo, ad traditiones humanas pauentes prophanam reddunt, et ipsis seruatis salutem promittunt sibi. Verum hoc tandem efficiunt, ut in omnibus quae faciunt incerti reddantur salutis, quippe quod conscientia per nihil quietam fieri uere et perpetuum possit, nisi per solam fidem in deum per Christum, &c. Vt uero tandem dicam quod coepi, duobus inquam insignibus exemplis eos notauit Apostolus, ne possent perpetuum latere. Prohibitum, inquit, nubere, et abstinere a cibis, &c. Audiant haec papistae, et resipiscant et ipsi nobiscum orent coeternum patrem, ut tandem omni errore et infidelitate dignetur nos omnes explicare, ut solum eius uerbum in mentibus et conscientijs nostris glorificetur, &c.

Et reuelatus fuerit.

Non dicit uenerit, ut scias eum ante reuelationem regnasse, et perdidisse animas: sed non agnitum pro perditore animarum, etc. Sic infra dicit: nam mysterium nunc operatur iniquitatis. Videbat enim et tunc seductores et seductos, qui a fide gratiae dei ad opera legis deficiebant magna specie sanctitatis. Contra quos in omnibus fere epistolis agit, de quibus ad Philip. 3. ait: Cauete canes, cauete malos operarios, cauete concisionem, et Actorum 20. Scio, quod intrabunt post decessionem meam lupi rapaces ad uos, non parcentes gregi, etc.

ANNOT. IOANNIS POMERANI

ex uobis ipsis, id est Christianis, exurgent uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Itaque tunc quoque agebat abscondite hoc dæmonium meridianum in illis, qui dilectionem ueritatis non susceperunt, qui aliquid melius quàm Euangelium erigere uoluerunt: sed de reuelando hoc errore hic prædicit Paulus. Hic ergo uide, quàm insipienter dicant, qui errorem hunc (qui ex diametro pugnat cum gratia Christi) diuturnitate temporis defendere nituntur. Vide quoque quàm nihil interpretentur, qui dicunt mysterium iniquitatis hic significare persecutionem Neronis, usque ad Diocletianum, & deinde sub Iuliano apostata, qui arte & astutia persecutus est Christianos, &c. Non hoc erat mysterium iniquitatis, sed aperta iniquitas: de qua etiã tandè ipsi gentiles principes erubescerent.

Homo peccati.

Qui nihil aliud facit suis traditionibus, quàm quod facit peccata in conscientijs hominum, ubi uere peccata non essent, si ueritatem dei intelligerent. Fictis ergo peccatis uere peccant, & uere damnantur: quia sic ut credunt, ita fit eis.

Filius perditionis.

Qui nihil facit aliud, quàm quod perdit animas, sicut Papa, & Papæ regnum, quod excommunicat, adgrauat, redaggrauat, interdicit, &c. quæ si nihil prodesse

*Mysterium
iniquitatis*

*Aperta
iniquitas
diocletiani*

3
Fictis peccatis peccatur.

desse uidet, inuocat brachium seculare, ut perdat non solum animas, sed & corpora. Nam de pecunia nostra perditam minus querimus: quos uero ditat, magnificat, indulgentijs donat, canonizat &c. illos grauius adhuc coram deo perdit &c. Siquidem & eò iam dementiae peruenerunt, ut credant, aut saltem credi uelint, quod possint quoque homines mortuos uel excommunicare, uel canonizare: ne relinquunt deo aliquid iudicij uel de mortuis.

**Qui aduersatur & extollitur
super omne.**

Id est, antitheos siue antichristos, Lucae. 11. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Nam Paulus hic protinus se exponit, cuius aduersarius sit: effertur, inquit, supra omne quod dicitur deus, aut religio siue cultus dei (ut Martinus) Suae enim praecipua supra dei praecipua uult seruari, suas traditiones ualere uult, & trepidis adorari conscientijs, quod deus non uult. Euangelium praedicare non permittit, id est meram Christi gratiam: qua cognita, impie traditiones, & illa episcopalia spectra protinus à conscientijs, ut fumus euanescent, & detecta personarum detur illi magni dii: qui ueri dei cultum, id est fidem, qua sola deus religiose adoratur in spiritu & ueritate, non carnali cultu, & ficta falsaque, id est ab hominibus

Christi dei

k

ANI
loquen
taq; &
meridia
perit,
uolue-
Paulus.
rorem
isti) di
quoq;
um im-
usque
ta, qui
Non
uitas:
cebat.
quod
pecca
is er-
nia sit
is, si-
ad-
pro-
desse

ANNOT. IOANNIS POMERANI

bus excogitata religione. Hunc inquam cultum nobis abstulerunt, & mera ludibria pro cultu dei nobis exrexerunt, in quo non deus sed ipsi coluntur & ditantur. Quid enim aliud uolunt cāpana, organa, altaria uestes, cantus, unctioes, rasura? &c. ut his omnibus nescias quid agant, id quod ne ipsi quidem sciunt. Nam certi in suis conscientijs, quod talia deo placeant, esse non possunt: quia non habent dei mandatum, quod talia facere debent: aut saltē uerbum dei, quod talia deo placēt. Quod uero facere deberēt, scilicet predicare Euangelium, hoc ignorant, cōtemnunt, prohibent. &c. qui & hoc audire coguntur, uelint nolint à deo, Populus hic me labijs honorat &c.

Ita ut in templo dei sedeat.

In tēplo dei, quid significet, in Paulo satis notū est: ex. 1. ad Corin. 3. Nescitis, quod templum dei sitis. & spiritus dei habitat in uobis? Si quis templum dei uiolauerit (qd' uiolatur mala doctrina, Euangelio adificatur) disperdet illum deus. Templum dei sanctū est, quod estis uos. In dei ergo templo sedet, qui in conscientijs regnare uult, ubi solius dei locus est, & solus deus regnare debet. Luc. 12. Ostendam uobis quem timeatis &c. 1. ad Corin. 7. Precio redempti estis, nolite serui fieri hominū. Quapropter uanum est, quod quidam putāt, Antichristum reaedificaturū templum Hierosolymis, & sessurum in eo: cum iam sciamus

Exm
- pharisaeus
- Monachus
- sacrificius
quale s.
cuius
templum
quod in se
continetur
credendo

Credens

Ro: 14

Hb: 3

1 Co: 3.

2 Co: 6

quale s. & templum

quod sit templū dei in Paulo, quasi uero Paulus tēplum dei appellasset, quod antichristus edificaturus esset: sed nec corpora nostra debemus cōsecrare papæ, Frācisco, Dominico, &c. ut non solum nō habeamus caetero notatam conscientiam, sed & corpus sit absq; notis, separantibus nos aliqua religionis specie à fratribus. In Christo enim non est Iudæus neq; Græcus, &c. ad Galat. 3. An nescitis (inquit) I. ad Corin. 6. quod corpus uestrū templū est habitantis in uobis spiritus sancti, quē habetis à deo? & non estis uestri iuris ipsi: nā empti estis precio magno. Glorificate iā deum in corpore uestro, & in spiritu uestro, quæ sunt dei. An nescitis, quod corpora uestra mēbra sunt Christi? Cur igitur tollens mēbra Christi, faciam scorti mēbra? Si hoc de corporali fornicatione sentit, multo amplius uerum est de spiritali, qua quod dei est, idolis tuis tribuis. Quis enim te nisi diabolus docuit, ut in iniuriā fratrum sectas facias, quasi tu reliquis sis melior aut sanctior? Terreat uel quod in psal. ad deum dicitur: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Atq; zelotus est deus, sibi soli uult seruari fidem, adulterā non sustinet, nec carnalem etiā sustinere nos uoluit, etiam si se sibi inungat, ut dicit propheta.

Quem dominus Iesus conficiet.

Vt scias, non nostrarum esse uirium, ut liberentur cōscientiæ ab Antichristo: est Christus hic inuocāndus.

k 2

• Conf.
 Alieu
 curiofrū
 . progi
 hant ab
 uolenti
 in subd.

ANI

um nobis
 nobis es
 & ditans
 a, altaria
 omnibus
 nt. Nam
 ant, esse
 quod ta
 alia deq
 edicare
 nt. &c.
 eo, Po

otū est,
 itis, &
 dei uio
 io adifi
 stū est
 consci
 solus
 quem
 tis, no
 quod
 plam
 amū

ANNOT. IOANNIS POMERANI

qui non est brachium seculare, sed brachium domini,
sicut Esaias uocat cap. 53. Stulte ergo agunt & sen-
tiunt, qui huic pesti armis carnalibus mederi tētant.
Ius tamen gladij in papistas, qui uim inferunt, sic per-
mittimus, ut hoc nō dicatur defensio euāgelij, quod sic
defendi se nō permittit, sed dicatur defensio oppresso-
rū. Christus, inquit, cōficiet aduersariū, qui euāgelij
gratiam abstulit, & cōficiet spiritu oris sui, id est uer-
bo spiritus: qd' ex ore eius prodijt, quod & ipse p se
se docet fideles in cordibus, hoc est suo sancto euange-
lio, sicut hodie. Sed heu nimis tā ineffabili gratiā in-
grati & uidemur & sumus. Vbi enim iā rursum præ-
dicatur merum & solum euangelium Christi, quod
Christi ore nobis datū est, & datur, illa humāa figmē-
ta, & doctrinæ demoniorū, quæ in hypocrisi locuta
sunt mēdaciū, ptinus euanesūt ut fumus, & sic occi-
ditur Antichristus in conscientijs & cordibus fidelū:
sicut & Esaias dixit cap. 11. de Christo: Et spiritu las-
biorū suorū interficiet impiū, & percutiet terram,
id est terrena sapientes, spiritu oris sui: Euangelio igi-
tur occiditur, & perit eius regnum, nō gladio carnali
scilicet. Verum oportet impios multos esse, in quibus
hoc uerbum spiritus nihil operabitur, nihil occidet:
sed manebit Antichristica opinio, usq; ad iudicij Chri-
sti diem, quando claritate aduentus eius intotum abo-
lebitur. Hec satanae operatio.

gladij
papistis violentos
i. d. fr. su
oppressoru

In iis qui pereunt.

Consolatio est quod suscipientibus Euangeliū cū dī
lectione, id est, diligentibus Euangeliū, siue ueritatem
dei, non foris solū audientibus, ista potētia & efficax
error, & signa mendacia non nocebunt, &c.

Vt iudicentur omnes qui
non credunt ueritati.

Vides hic horrendū dei iudicium, sed occultū, aduer
sus eos qui non credunt ueritati, quos (quia seduci non
metuunt, & errores amant, & defendūt) amplius ses
duci oportet, nec possunt unquā resipiscere. Nō enim
probauerūt habere deū in notitia &c. Rhom. 1. Hoc
est quod Ioan. citat cap. 12. ex Esa. Excæcauit oculos
eorū &c. Vnde & Ioan. 3. Qui nō credit, iam iudica
tus est. Iudicia hæc dei sunt. Sunt enim quidam qui non
solū nō diligunt ueritatē, contra quos hic horrēde lo
quitur: sed etiā quam ueritatē uidere possent & agno
scere, blasphemāt: quod peccatū, quia in spiritum san
ctum est admissum, non remittetur in æternum, ut di
citur Marci 3. de quo aliās diximus in psalmo: Deus
meus laudem meam ne tacueris.

Nos autē debemus gratias agere deo.

Illos qui credūt ueritati, ait esse ex electis ab æters
no, sicut uidet ad Ephe. 1. Et eos ipsos nō esse seducen
dos; ad tēpus aberrare possunt oues, sed nō deserit pa
k 3

ANNOT. IOANNIS POMERANI
stor bonus, ut errore nostro docti sciamus quid debeamus luci Euangelicæ, & saluatori Christo. Nos autem ne ingrati simus.

Per sanctificationem Spiritus.

Id est, internam sanctificationem, non per carnales operum iustitias, & hypocrisim illam sanctitatis. Id quod exponit addens, ac fidem ueritatis: id est ut credamus soli uerbo dei, non humanis doctrinis.

Ad quod uocauit.

Elegit ab æterno, sed uocat per prædicationē Rho. 8. Quos prædestinauit, hos & uocauit &c. Vocauit autē dicit ad acquisitionē gloriæ Christi, ut eius gloriā possideamus, & eius gloria nostra sit: qui scimus gloriā nostrā, gloriā carnis & operū nostrorū esse toram deo confusionē & ignominiam, & gloria dei indignos, qui aliquid suæ gloriæ in se agnoscūt: ut qui gloriatur, in domino gloriatur. De hac autem gloriā sepius diximus.

**Ipse autem dominus noster
Iesus Christus & deus.**

Profectū & perseuerantiam eis per deū exoptat.

CAPVT III.

Vt sermo dei currat.

Hoc est quod dicit Matth. 9. dominus: Rogate dominum messis. Nisi enim deus miserit, nemo